PELAGIUS
3. Viertel 12. Jh. Seite 73r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36487
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Sectamini caritatem. Omni conatu ipsam sequimini: quia in uera est
potestate. Emulamini spiritalia. magis autem ut prophetetis. Et spirita
lia dona emulari uos ac querere non prohibeo. sed ut magis proficiatis exhortor.
Qui enim loquitur lingua non hominibus loquitur sed deo. quia nemo eum
audit. Nemo per auditum aurium de his que dicuntur accipit intellectum.
nisi deus dederit. et qui interpretandi accipit donum uel qui eiusdem est linguae. Spiritu autem
loquitur mysteria. Iterum linguam significat. Nam qui prophetat hominibus loquitur
ad edificationem et exhortationem et consolationem. loquitur lingua semet ip
sum edificat. Notandum quomodo prophetiam doctrinam dicit. Exposuit quot modis
intelligenda sit prophetia: Quicumque quod hec habet propheta esse censendus est.
Volo autem omnes uos loqui linguis. magis autem prophetare. Hoc quidem uolo
sed illud malo. non hoc prohibeo. illud exhortor. Nam maior est qui prophetat.
Quia et hoc magnum opus est karitatis quod per multi proficiunt. Quam qui loquitur
linguis. Quod uos precipuum estimatis. Nisi forte ut interpretetur. ut ecclesia edi
ficationem accipiat. Si interpretetur. tunc equalis poterit esse prophetanti. Nunc autem
fratres si uenero ad uos linguis loquens quid uobis prodero. nisi uobis loquar
aut in reuelatione aut scientia. aut prophetia. aut in doctrina. Suum
illis proponit exemplum. Erit uobis sola admiratio non profectus. nisi uobis aut
interpretetur. aut plana faciam legis occulta quae noui. aut prophetias exponam.
aut uos moralibus doceam institutis. Tamen que sine anima sunt uocem
dantia. siue tibia siue cithara. nisi distinctionem sonitum dederit. quomodo
scietur quod canitur. aut quod cytharizatur. Cum hec inanimalia nisi distinc
tionem habeant suauem non possunt reddere cantilenam. aut superflua re
spuantur. quanto magis uos quae spiritalis suauitas non aures debet
mulceri sed mentes. Etenim si incertam uocem tuba det. quis parabit se ad
bellum. Ita et uos per linguam. nisi manifestum sermonem dederitis. quomodo
scietur id quod dicitur. Si uox tubae incerta fuerit utrum sollemnitatis an
belli sit. nemo pugnabit. Ita quod et uester intelligendus est sermo. ut possit
ad spiritale prelium xpi milites preparare. Critis enim in aera loquentes.
tam multa utputa genera linguarum sunt in mundo. Etiam si tam
multa loquamini ut genera sint linguarum. quid proderit. cum omnia
in aera saluantur et nulli proficiatur. Et nichil sine uoce est. Nichil sine